

garia sunt due sedes Archiepiscopales; Strigoniensis et Colocensis. Strigonium habet de curia regis de moneta VI mille marcas et decimam monetarum, et est metropolis Vngarie. Colocensis sedem habet Bachiensem et habet duo millia et quingentas marcas. Suffraganei domini Strigoniensis sunt: Episcopus Agriensis habens III millia marcarum. Episcopus Woacensis habens septingentas marcas. Episcopus Quinqueecclesiensis habens mille et quingentas marcas. Episcopus Geuriensis habens mille marcas. Episcopus Wesprimiensis habens mille septingentas marcas. Episcopus Nitriensis habens mille centum marcas. Suffraganei Colocensis sunt: Episcopus Sunadensis (Chanadensis?) vel a fluvio preterlabente Morisensis, habens duo millia marcarum. Episcopus Biarch. cuius sedes dicitur Orosiensis (Olasiensis) habens mille marcas. Episcopus Vltrasylvanus habens duo millia marcarum. Episcopus Zagrabiensis super flumen Soa habens mille quingentas marcas. In Dalmacia sunt duo Archiepiscopatus: Jaderensis (Jacezensis), habens quingentas marcas. Espaletensis, habens quadringentas marcas. Vnde Espaletensis et insimiliter (Jadrensis) habent suffraganeos decem. — Rex Vngarie de reditu monete sue habet sexaginta millia marcas per annum, Idem habet de sale suo XVI millia marcas. Idem habet de pedagogiis et passagiis et mercatis seu foris, que omnia sunt XXX millia marcarum. Idem habet de alienis hospitibus regis de Vltrasylvas XV millia marcarum. Idem habet de sua tertia parte de septuaginta duobus comitibus suis de redditu annuo XXV millia marcarum. Idem habet de Duce Sclauonie per annum X mille marcas. Unusquisque comitum 72 semel in anno regem Vngarie procurat, et antequam de mensa surgat, dona dat munus centum marcarum, et aliquis eorum II. C. marcas. In quibus adminus presumitur summa solius regis larga computatione X mille marcarum. Et preter hec dona regine et filiorum regis magna in argento, seu panis, sericis et equis. Et preter hec tricesima. Populus terre regi facit victum plenarium.

Fejér. Codex Diplomaticus Regni Hungariae. Vol. II. pag. 217. E codice Regio Parisiensi Nro. 6238 fol. 20.

XXVIII.

Anno 1185.

Petrus Spalatensis Archiepiscopus, celebrato Concilio, Parochias inter Episcopatus Croatiae et Dalmatiae aequo jure distribuit multasque salutare ordinationes sancit.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Anno ab incarnatione domini MCLXXXV. indictione III. Domino Lucio papa III. apostolicae sedi praesidente, ac D. Bela III. Hungariae regnum gubernante, et Domino H. (Henrico) filio eius,